



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Medvlla Theologiæ Moralis

Busenbaum, Hermann

Monasterii Westphaliæ

Dub. III. Quid sit hæresis?

urn:nbn:de:hbz:466:1-40957

mortali, aliquando etiam ab omni peccato. *Ita communiter. v. Autt. suprâ citt. & Bon. l. c. item Laym. l. 4. t. 1. c. 17.*

DUBIUM III.

Quid sit Hæresis?

Resp. Hæresis, est error intellectus liber, & pertinax contra fidem, in eo, qui fidem suscepit. *Ita comm. Suar. Bec. c. 14. q. 2.* Unde patet, ad Hæresin, uti & Apostasiam, duo requiri: 1. Judicium erroneum, quod est ejus quasi materiale. 2. Pertinaciam, quæ est quasi formale. Porro pertinaciter errare; non est hic acriter, & mordicus suum errorem tenere, aut tueri, sed est eum retinere; postquam contrarium est sufficienter propositum; sive quando scit, contrarium teneri à reliqua universali Christi in terris Ecclesia, cui suum judicium præferat; sive id fiat ex vana gloria, sive libidine contradicendi, aliâve causa. *Ita Sanchez. Vasq. Lay. l. 2. t. 2. c. 13. & alii comm.* Ratio, quia tunc putat, judicium Ecclesiæ non esse sufficiens fundamentum credendi, quæ est vera pertinacia: quam cum Cõningk facilius sic explicant alii, eam tunc esse, cum etsi objectum fidei credibiliter proponatur, ita ut prudenter de eo non possit dubitare; contrarium tamen judicet, à quo nolit avelli ullo casu, vel saltem, nisi evidenter convictus, *v. Cõn. d. 18. Vnde resolves.*

I. Non est hæreticus, qui exterius tantum fidem negat, aut adorat idolum. Ratio, quia non errat. Neq; talis incurrit in foro conscientiæ censuras latas contra hæreticos, etsi in foro externo secun-

secundum externa procedatur. *Fill. t. 22. c. 6. q. 4.*

II. Est hæreticus, qui affirmativè de aliquo articulo fidei dubitat, hoc est, judicat esse dubium. Dixi, *affirmativè*: quia negativè tantum dubius, hoc est, suspendens judicium, per se & simpliciter non est hæreticus, quia non habet judicium; ergo nec erroneum: modò tamen non ideo suspendat, quod virtualiter judicet, non liquere de certitudine objecti. *Sa. Azor, l. 8. c. 9. q. 5. contra Sanch. & Malderum.*

III. Nemo est hæreticus, quamdiu paratus est judicium suum Ecclesiæ submittere, aut nescit, contrarium tenere veram Christi Ecclesiam; esto ex ignorantia etiam culpabili, & crassa sententiam suam mordicus tueatur. *Lay. l. c. n. 2.*

IV. Nec est hæreticus, qui ita dispositus est, saltem habitualiter, ut à suo errore esset discessurus, si sciret esse contrarium fidei; dummodo pertinaciam actualem nunquam habuerit. *Ibid. & Côn. l. c.*

V. Rustici, aliiq; homines simpliciores in Germania qui hæretici habentur, & tamen pertinaces non sunt, possunt absolvi à suis Parochis. Ratio quia non sunt hæretici formales, habentq; fidem Catholicam in Baptismo acceptam, quæ non perditur, nisi errando pertinaciter. *Lay. l. c.*

VI. Cum hæresis, & quævis infidelitas mortalis sit, peccant quoq; mortaliter, qui ejus periculo se exponunt, sive conversando, sive conciones audiendo, sive libros legendo; quæ proinde, si cui periculosa sint, illicita sunt jure naturæ: si verò periculum absit, lectio librorum hæreticorum nihilominus

ominus illicita est, jure positivo Ecclesiae; uti etiam formalis disputatio laici de fide. Quod posterius tamen in Germania, locisque similibus, ubi Catholici haereticis sunt permixti, abrogavit consuetudo. *Az. Fill. Bell. San. Bon. di. 3. q. 2. p. 5.*

VII. Matrimonium contrahere cum haeretica, etsi per se sit illicitum, habeaturque in Hispania & Italia mortale; probabile tamen est, ob gravium Doctorum autoritatem, (*Sanch. de matr. tom. 2. l. 7. d. 72. n. 5. Azor t. 1. l. 8. d. 3. c. 3. Regin tr. 2. l. 31. n. 169. Basilius pontius de matr. c. 6. v. Cardin. de Lugo, de Sacramentis in genere, d. 8. f. 14. n. 220.*) in Germania licere, ex gravi causa, salvo tamen jure naturali, & semoto periculo, tum contrahentis, tum prolium: unde de iis initio constitui debet, ut Catholicè educentur. *v. Bec. l. 5. c. 19. Dian. p. 3. t. 4. R. 269.*

VIII. Eum, qui lapsus est in haeresin, non tene-ri in confessione explicare, qualis illa sit, eò quod omnes ejusdem speciei sint, docent *Reg. Diana tom 1. tract. de circumst. R. 46 citans alios: & E-scob. Ex. 2. c. 6.*

Alii tamen contrarium tenent, quos sequitur. *Card de Lugo de paen. d. 16. n. 288. & n. 291.*

TRACTATUS II.

De Praecepto Spei.

PER Spem, quæ est secunda virtus Theologi-
ca, intelligitur amor concupiscentiæ erga
Deum, quo Deum & divina, præ omnibus aliis
cor-